

Bl. 12.

Li. 3236

EX TACITI III ANNAL.
CAP. XXVI

49

DE LEGIBVS

A. D. XII MAI. POSTMERIDIANIS HORIS

IN

SCHOLA EPISCOPALI
OPTIMAE INDOLIS ET FRVGI DISCIPVLVS
LEGITIME OB ID DIMITTENDVS
DISSERTABIT.

AD AVDIENDVM DECENTER
INVITAT

M. CHRISTOPHORVS CELLARIVS,
R E C T O R.

CIZAE EXSCRIPSIT FRIDEM. Hetsädt/A. 1685.

28

EX TACITI III ANNALES
CAP. XXVI

DE LEGIBUS

A. D. XI MAI. POSTMERIDIANIS HORIS

IN
SCHOLA THEOLOGICA

OPTIMAE FIDELIS ET PRAECIPUE
LEGITIME ORATIONIS


AD ABBATIALE

M. CHRISTOPHORVS CELLARIVS
RECTOR



CHRISTOPHORVS CELLARIVS





Diuinam auctoritatem legum esse non ex sacris modo pandectis perspicue monstrari potest, sed omnino etiam ex placitis & institutis sapientum fit probabile, qui ut legibus, quas tulerant, valorem & pondus adicerent, singularem deorum consuetudinem, colloquia, & congressus simulauerunt. De Numa Pompilio, qui semibarbaram Romuli ciuitatem primus legibus ordinauit, res notissima est, nocturnos congressus cum nympa vel musa Egeria finxisse, ut rudi ac feroci populo persuaderet, diuæ huius monitu, quæ acceptissima diis essent, & instituere se, & populum non tam hominibus, quam immortalium deorum voluntati atque nutui obtemperare. Sertorii ceruam albam quis ignorat? quam diuinitus sibi oblatam & Dianæ numine instinctam credi volebat, a qua moneretur, quæ utilia factu essent, ac si quid durius imperaret, promptiores ad obsequendum diuina auctoritate milites haberet. Id adeo apud legumlatores inualuerat, ut Diodorus Siculus libro II Bibliothecæ Historicæ cap. xciv non dubitarit, vniuersis, saltem præcipuis conditoribus legum huiusmodi *αεγοισιν ἢ νουαι* siue *simulationem* attribuere. Sic Mneuen Ægyptium leges suas Mercurio, Ioui Minoem Cretensem, Apollini Lycurgum Lacedæmonium vindicasse refert, nec aliter instituisse barbaros, Zathraspen Arianorum, Zamolxin Getarum, quorum ille *αγαθὸν δαίμονα* bonum genium; hic

hic τὴν κοινὴν ἔσταν *communem Vestam* legum suarum au-
ctorem prædicauerit. Mirandum est, aut indignan-
dum potius, ab Siculo hoc scriptore, diuinum virum,
nostrum Mosen, in eodem simulantium censu adnu-
meratum fuisse. Παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις Μωσὴν τὸν Ἰαῶ Ἰπικαλέ-
μνον θεὸν περιποιήσασθαι τὰς νόμους αὐτῷ δίδοναι, *apud Iudeos*
Mosen finxisse, a Deo, qui IAO diceretur, leges sibi tradi-
tas esse. At vero diuinis & inusitatis miraculis proba-
uerat affatim Moses, nihil fictum aut simulatum suis
legibus subesse, sed, vt res erat, auctore Deo se illas
promulgasse, quippe neque Numa, neque Lycurgus,
neque Zamolxis, aut quisquam alius legislatorum,
perficere valuit, quæ Mosen scimus stupenda prodigia
edidisse. Ethnicorum ergo ignorantia vel inuidia
tribuamus, quæ in hac parte Diodorus errauit, sicut
Tacitum quoque, grauissimum cetera scriptorem, &
Trogum Pompeium eadem de causa in historiis lu-
daicis alucinatos nouimus. Esto autem simulasse,
commentos esse, ad finxisse deorum auspicia iussim-
que legumlatores ethnicos; haud tamen ficta nobis
& commenticia omnis legum, etiam quas ipsi tulerunt,
auctoritas videtur. Iusta enim lex quælibet,
(nam iniustam negamus legem esse) a Deo auctore
est, qui mentibus humanis vel ipsam inscripsit, vel
principia eiusdem, ad quæ, vt normam, dirigenda
est, naturaliter indidit. Ex quo id consequitur, vt
mirificam vim & vere diuinam in animis hominum
leges non occulte exferant ostendantque. Cui, vt
alias significationes & indicia prætermittamus, vel so-
la pœnarum irrogatio ad comprobandum satis argu-
menti est. Rem admiratione dignissimam putamus,
numerofissimos populos ab vno seu paucis ita secun-
dum

dum leges regi & sæpe acerbioribus pœnis ac suppli-
ciis coerceri, vt nunquam rebellent, nunquam faci-
ant secessionem. Quid est, quod in officio illos tam
strictim contineat, nisi occulta vis legibus & rerum-
publicarum statutis diuinitus insita, vt timeant homi-
nes perfringere leges, aut earum contemnere aucto-
ritatem. Quemadmodum enim timor, vt poeta ait,
primos in orbe deos fecit: ita eandem vim & metum
subesse credamus, vt ratæ apud multitudinem vali-
dæque legum constitutiones sint. Vnde factum no-
vimus, vt omnium suffragio puniendi potestas pau-
cis illis, qui ad clauum reipublicæ sedent, permissa
sit; ceteri illa non iniquo animo abstineant. Tradunt
quidem iuris naturalis scrutatores, non expressum
per naturam esse, penes quem sit pœnas irrogare.
Dictitare rationem quidem, maleficum puniri posse,
debere etiam; non autem definire, quis punire de-
beat: nisi quod satis indicet, naturæ conuenientissi-
mum esse, saltim ex secunda eius intentione, vt fiat
a superiore, nec cuius permessa sit vindicandi potestas.
Accessit diuina lex, ad paucos itidem, qui iudices vo-
cantur & aliis præsumt cum imperio, vindictam alli-
gans, ne læsorum adfectus, si ipsis puniendi potestas ef-
set, plus iusto ageret modumque excederet in pœna.
Priuatos inde excludi remouerique constat, nisi quod
Ebræorum *וְדָם בְּחַיִּים* *vindex sanguinis* dubitationem ad-
ferre potest, qui diuina lege Numer. XXXV. 19. seq.
in homicidam, consanguinitatis iure, quamlibet pri-
uatus, licentiam habebat, vt ita non omnis priuata
vindicata, vel ipso Deo probante & per asyla limites
ponente, improbari videatur. Verum & hoc ipsum
vindicandi genus non priuatum fuisse, sed publicum
cense-

censemus, utpote magistratus consensu factum, & longa consuetudine, quæ instar legis est, confirmatum publice. Hunc vindicandi modum, ut non nulla alia, in duræ cervicis populo toleravit potius, quam concessit, Deus iustissimus. Ad iudices itaque & legislatores, aut penes quem publica potestas est, pœnarum inflictio pertinet, qui tamen non ex suo mere arbitrio, nisi in æquitatis moderamine, sed secundum legem pronunciant, siue diuina illa sit aut naturalis, siue ab hominibus lata. Quanquam enim, quod pœna expetenda sit, atque etiam delicto æqualis, naturæ lege manifestum est: tamen vel genus pœnæ, vel quantitatem ab eadem definiri, plerique negant, qui moralia naturæ arcana perscrutati sunt. Quod si ita est, quid de homicidii lege Gen. IX. 6. dicemus, quæ pœnam *sanguine vicissim fundendo* definiuit? si humana, aut, ut vulgo loquuntur, positiva est, non ubique obtinebit, & antequam lata fuit, nihil referebat, quo modo cædes puniretur: si naturalis, natura quoque pœnæ quantitatem dicitur. Iudæi in Gemara Sanhedrin cap. VII, *septem præcepta* Noachi filiis data recensent, quæ vniuersalia sint, & per Noachidas in omnes gentes propagata, etiam bello captis sub pœna *excisionis*, ab Iudæis imposita. Non itaque errare putamus, qui ad Noachi præceptum, quod *עפירת דמים* *effusio sanguinis* compendio stili & linguæ sanctæ dicitur, hanc de homicidii pœna, saltim ut explicationem a Deo additam, adscripserit. Ipsum Aben Esram, licet dubio gressu, præisse videmus, cum de cap. IX comitate v (quod itidem de homicidii supplicio tractat) post alias expositiones subiicit, *או הוה מורה לבני נח* *aut his verbis præceptum Noachidarum continetur.* Quod si A-
ben-

benEsræ comma quintum, quod conceptis verbis in citato Talmudis loco non habetur, ad Noachi præcepta referre licuit: quidni & nobis de sexto eiusdem argumenti commate licebit idem? Non quidem vel numero, vel aliis, quæ superstitiose Iudæi iactant, tenaciter adhæremus: negare tamen non possumus, Noachi ævo, & antiquius etiam, præcepta exstitisse, rationi ignota, vt vel solus sacrificiorum ritus abunde probat; quo & legem de homicidii pœna referri consentaneum est. Neque solis Semi posteris, sed vniuerso hominum generi, tunc Noachi familia concluso, proponebatur, cui hoc facilius morati populi obtemperarunt, quo clarior ratio mandati existeret. Cuius enim tanta malitia est, vt hominem deliberato consilio occidere non vereatur: ab illo ceteri mortales non cauent sibi satis, nisi idem vita exturbatus fuerit. Sed in viam reuertimur, qui hæc ideo disputauimus, vt pœnarum patientia auctoritatem legum confirmari probaremus. Quæ cum ita sint, non leue pondus ex cœlesti origine & inspiratione iustis legibus accedit, quarum tam præstans atque digna meditatio est, vt omnium sæculorum sapientes in primo eam loco atque numero habuerint. Dignam ergo ingenio suo eandem putauit adolescens nobilis **ANTONIVS PHILIPPVS GVNTHERVS Förster** / Citicensis, quam scholasticarum exercitationum, quibus palmam sæpissime adeptus est, supremam constitueret. Cum enim, qua insuperabili industria est, ex publica octo annorum informatione id consecutus sit, vt, si quisquam alius, cum summa laude dimitti in Academiam possit: & pro rara inusitataque pietate, quam industriæ & doctrinæ semper coniunctam tenuit, grati animi monumen-

numentum publicum relinquere decreuerit, cui *de Legibus eruditam dissertationem*, suo Marte inuentam & elaboratam, præmissurus est; nostrarum partium putamus esse, quantum precibus & officiorum pollicitatione potest fieri, summos, mediocres nostræ ciuitatis eruditos, eosdemque patronos & fautores nostros, vehementissime rogare, vt tantæ spei ingenio præsentiam suam haud denegent, sed tum pristinæ in Musas nostras beneuolentiæ suæ, tum maxime insignium parentum & maiorum præclaræ memoriæ in tantum concedant, vt filium, ad summa quæque contendentem, magis magisque applausu & acclamationibus suis extimulent. Vt enim æqualium æmulatio ingenia alit: sic alacritatem singularem superiorum conspectus & præsentia addit, & ad maiores conatus non mediocriter excitat. Neque viri doctrina & auctoritate conspicui de litterarum studiis præclarius vnquam mereri possunt, quam si exemplo suo ac nutu incendunt plurimos, vt impigre in honestissimo cursu progrediantur, & ad gloriæ metam, quæ proposita est, concitato se gradu proferant. Quod superest, Förföstero nostro eos successus studiorum rerumque omnium apprecamur, qui diuinæ voluntatis lege pietatem & industriam indubitate comitantur. PP. Cizæ v Idus Maias cio idc LXXXV.





No 3165

8
80

Wort

1708





B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Farbkarte #13

Li. 3236

49

III ANNAL.
XXVI

GIBVS

TMERIDIANIS HORIS

N
EPISCOPALI

ET FRVGI DISCIPVLVS
D DIMITTENDVS

RTABIT.
VM DECENTER
ITAT

RVS CELLARIVS,
T O R.

RIDEM. Hetsstädt/A. 1685.

28.

